

omnes & folia quasi mortis quâdam imagine decidant, à $\Phi\theta\iota\upsilon\epsilon\iota\upsilon$, $\Phi\theta\iota\upsilon\epsilon\iota\upsilon\alpha\iota$ corrumpi, deficere, dissipari, & $\pi\omega\rho\epsilon\iota\upsilon$ lugere.

13. Ἐπιφύσειν) despumare, $\alpha\phi\epsilon\gamma\varsigma$, spuma.

16. Μεμεσιμοίεσι) queruli de sua sorte, $\mu\epsilon\iota\sigma\epsilon\iota\upsilon$ dividere, $\mu\omicron\iota\epsilon\gamma\epsilon$ fatum, fors, providentia divina à distribuendo sic dicta.

18. *Juxta impietatum ipsorum cupiditates*) i. e. juxta cupiditates, quas ipsis impietas ipsorum dicitur.

19. Ἀποδιορίζοντες) qui se ab aliis fidelibus per certos limites ac terminos disseperant ac segregant, ut Pharisei olim.

IN APOCALYPSIN D. JOHANNIS.

CAP. I.

Verf. I.

TOta Apocalypsis Visionum Prophetiarum Johannis Theologi commode *dividi* potest in IV. PARTES GENERALES.

PRIMA PARS *Dogmatica*, & continet Paræneses ad septem Ecclesias Asiaticas, earumque Angelos i. e. Doctores & Episcopos, quomodo se ex utraque parte in officio suo gerere debeant, si æternum salvi esse cupiant, idque prioribus tribus Capit. absolvitur.

SECUNDA PARS continet *Vaticinium* generale de Statu futuro Ecclesiæ N. T. idque in duplici Visione Johanni representatur, *tum libri cum 7. sigillis*, quorum singulorum sigillorum apertione singula fata (infelicia ut plurimum) exponuntur à c. 5. usque ad 8. quò etiam refer c. 4. quòd continet *Isagogen* ad sequens Vaticinium, dum in visione ipsi exhibetur Status Regni Christi in hac terra sive Ecclesiæ militantis, exhibito. Rege Majestatico Christo ejusque Ministris sive Vicariis fidelibus Verbi præconibus, qualem *Isagogen* ad officium Propheticum vide Esa. 6. & Ezech. 1. *tum 7. tubarum* à c. 8. v. 2. ad c. 12.

TERTIA PARS continet *Vaticinia particularia*, de insigni mutatione in Ecclesia, sub decursu aliquot 100. annorum periodi, in diversis persecutionibus, quarum PRIMA est *ARIANA*, quò etiam